


ANN. XVIII - FASC. V


MENSE MAIO MCMXXXI

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO, constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Maio MCMXXXI

Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

QUADRAGESIMO ANNO EXEUNTE A LEONIANA ENCYCLICA EPISTOLA “DE CONDITIONE OPIFICUM”

Idibus huius mensis Maii per orbem universum celebrata est gravissima illa Leonis Pp. XIII encyclica epistola de conditione opificum, abhinc annos quadraginta edita, eiusque doctrina et praecepta longe lateque sunt revocata, quippe quae Ecclesiae iussa atque instituta graviter ac firmissime asseverando, certas vias ac rationes indigarent, quibus vetus acerrimumque discrimen inter operarum conductores et opifices componeretur.

Huius commemorationis et nos participes fieri cupientes, nonnullas illarum litterarum partes per totidem capita h̄c hodie referre constituimus; eoque magis quod, ut omnes norunt, Leoniana scripta eximiae quoque latinitatis exemplar praebeant.

I.

DISCRIMINIS GRAVITAS ET DIFFICULTAS.

Rerum novarum semel excitata cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecutum ut commutatio-

num studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. Revera nova industriae incrementa novisque euntis itineribus artes: mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae: divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia: opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri exspectatione suspensos: denique ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum, ut iam causa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia veherentius... Genus hoc argumenti non semel iam per occasionem attigimus: in his tamen Litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici munieris conscientia monet, ut principia emineant, quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimi-

catio dirimatur. Caussa est ad expedientum difficultis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri iura et officia, quibus locuples et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant, inter se oportet contentineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditione multitudinem passim detorquetur. Utcumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur.

II.

MISERANDAE OPIFICUM CONDITIONIS CAUSSAE.

Veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, quum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuisent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem: hoc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulent ac praedivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.

III.

DE SOCIALISMO DISPUTATIO.

Ad huius sanationem mali *Socialistae* quidem, sollicitata egentium in locuples invidia, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rem publicam gerant. Eiusmodi translatione bonorum a privatis

ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo: eademque praeterea est valde iniusta, quia vim possessoribus legitimis afferit, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates.

Sane, quod facile est pervidere, ipsius opera, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi querere privatoque iure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industria suam alteri commodat, hanc ob caussam commodat ut res adipiscatur ad victimum cultumque necessarias: ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi querit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parcioniae sua, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induita speciem: proptereaque coemptus sic opifici fundus tam est in eius potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre *Socialistae* ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

Verum, quod maius est, remedium proponunt cum iustitia aperte pugnans, quia possidere res privatum ut suas, ius est homini a natura datum...

Neque est, cur providentia introducatur reipublicae: est enim homo, quam respublica, senior: quo circa ius ille suum ad

vitam corpusque tuendum habere natura ante debuit quam civitas ulla coisset. Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terra in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terram non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri effrent. Qui re parent, supplent opera: ita ut vere affirmari possit, universam comparandi victus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cuius merces tandem non aliunde, quam a multiplici terrae fetu ducitur, cum eoque permutatur...

Horum tam perspicua vis est argumentorum, ut mirabile videatur, dissentire quosdam exoletarum opinionum restitutores: qui usum quidem soli, variosque praediorum fructus homini privato concedunt: at possideri ab eo ut domino vel solum, in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, plane ius esse negant. Quod cum negant, fraudatum iri partis suo labore rebus hominem, non vident. Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat: e silvestri frugifer, ex infundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne iustitia patiatur? Quo modo effectae res caussam sequuntur a qua effectae sunt, sic operae fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere. Merito igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit...

Iura vero istiusmodi, quae in hominibus insunt singulis, multo validiora intelligentur esse si cum officiis hominum in convictu domestico apta et connexa spectentur... Familia, seu societas domestica perparva illa quidem, sed vera societas est, eademque omni civitate antiquior; cui propterea sua quaedam iura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica.

Quod igitur demonstravimus, ius dominii personis singularibus natura tributum, id transferri in hominem, qua caput est familiae, oportet: immo tanto ius est illud validius, quanto persona humana in convictu domestico plura complectitur. Sanctissima naturae lex est, ut victu omni魁 cultu paterfamilias tueatur quos ipse procreavit: idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producent personam, anquirere et parare, unde se honeste possint in ancipi vita cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficeri non alia ratione potest, nisi fructuarum possessione rerum, quas ad liberos hereditate transmittat. Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus, veri nominis societas est, quae potestate propria, hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis utique finibus quos proxima eius caussa prescripsit, in diligendis adhibendisque rebus incolumenti ac iustae libertati sue necessariis, familia quidem paria saltem cum societate civili iura obtinet. Paria saltem, cum convictus domesticus et cogitatione sit et re prior, quam civilis coniunctio, priora quoque esse

magisque naturalia iura eius officiaque consequitur. Quod si cives, si familiae, convictus humani societatisque participes factae, pro adiumento offensionem, pro tutela diminutionem iuris sui in republica reperirent, fastidienda citius quam optanda societas esset.

Velle igitur ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciösus est error.

IV.

SOLA ECCLESIA OPPORTUNUM MALI REMEDIUM
EFFICAXQUE PRAEBET.

Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec causa desiderat: principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum: illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius; eademque est, quae non instrueret mentem tantummodo, sed regere vitam et morē singulorum praceptis suis contendit: quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis: quae vult atque expedit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur: ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoratemque reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere.

V.

FERENDA HUMANA CONDITIO
ET SOCIETATIS DISSIMILITUDO.

Illud itaque statuatur primo loco, fere rendam esse conditionem humanam: summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem Socialiae: sed

omnis est contra rerum naturam vana contentio.

Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines; non omnium paria ingenia sunt, non solertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatortum tum communitatis accommodate; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris. — Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso *statu innocentiae* non iners omnino erat homo futurus: at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiatione culpe subire non sine molestiae sensu coegerit necessitas.

*Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.*⁴

Similique modo finis acerbitatum reliquarum in terris nullus est futurus, quia mala peccati consectaria aspera ad tolerandum sunt, dura, difficultia: eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpetui humum est, et ut homines experiantur accidere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam pollicentur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam maiora praesentibus. Optimum factu res humanas, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommodis levamentum, ut diximus, aliunde petere.

Gen., III, 17. Propterea dicitur: In

cognoverint, quos aequitatem lucro, religionem officii rebus omnibus constiterit anteponere. Ex quo illud etiam consequetur commodi, quod spes et facultas sanitatis non minima suppeditabitur opificibus iis, qui vel omnino despcta fide christiana, vel alienis a professione moribüs vivant. Isti quidem se plerumque intelligent salsa spe simulataque rerum specie deceptos. Sentiunt enim sese apud cupidos dominos valde inhumane tractari, nec fieri fere pluris quam quantum pariant operando lucri: quibus autem sodalitatibus implicati sunt, in iis pro caritate atque amore intestinas discordias existere, petulantis atque incredulæ paupertatis perpetuas comites. Fracto animo, extenuato corpore, quam valde se multi vellent e servitute tam humili vindicare: nec tamen audent, seu quod hominum pudor, seu metus inopiae prohibeat. Iamvero his omnibus mirum quantum prodesse ad salutem collegia catholicorum possunt, si haesitantes ad sinum suum, expendiendis difficultatibus, invitarint, si resipescentes in fidem tute lamque suam acceperint.

VI.

VERUM NON EST LOCUPLETES
PROLETARIOSQUE AD PUGNANDUM INTER SE
NATURAM COMPARASSE.

Est illud in caussa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensem alteri, quasi locupletes et proletarios ad gladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit quo modo in corpore diversa inter se membra convenient, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecipisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibrium respondeant. Omnino altera alterius indiget: non res sine opera, nec sine re potest opera consistere. Concordia gignit pulchritudinem rerum atque ordinem: contra ex perpetuate certaminis oriatur necesse est cum agresti immanitate confusio. Nunc vero ad dirimentum certamen, ipsasque eius radices amputandas, mira vis est institutorum christianorum, eaque multiplex.

VII.

QUOMODO DISCRIMEN RATIONE DIRIMATUR.

De statu opificum certatur in praesens: quae certatio ratione dirimatur an secus, plurimum interest reipublicae in utramque partem. Ratione autem facile dirimetur ab artificibus christianis, si societate conjuncti ac prudentibus auctoribus usi, viam inierint eamdem, quam patres ac maiores singulari cum salute et sua et publica tenuerunt. Etenim quantumvis magna in homine vis opinionum praeiudicatarum cupiditatumque sit, tamen, nisi sensum honesti prava voluntas obstupescerit, futura est benevolentia civium in eos sponte propensior, quos industrios ac modestos

(MNE MOSYNON).⁴

Ineunte saeculo tertio, in Ecclesia Carthaginensi ille severus et rigidus Tertullianus vivebat, qui contra haereticos pugnans celebre opus contra illos composuit circa annum cc, cui titulus: *De præscriptione haereticorum*. In hoc non solum Ecclesiam Romanam « felicem » appellat, sed ipsos haereticos ad eam remittit, si curam aeternae salutis suae gerere velint et ve-

⁴ Cfr. fasc. sup.

ritatem fidei invenire. Inter alia autem sic haereticum alloquitur: « Age iam, qui voles curiositatem exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident; apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque... Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista, quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Domini adaequatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur; ubi Apostolus Ioannes, poste aquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur ».¹ Sic et pro Tertulliano Roma, hoc est Romana Ecclesia, est caput omnium Christi fidelium, ad quod omnes respicere debent; ipsi enim Ecclesiae Romanae Apostoli totam doctrinam cum sanguine suo profuderunt.

Origenes, rector scholae cathecheticae Alexandrinae, miraculum eruditio nis, circa annum ccx, desiderio attractus videndi antiquissimam omnium Ecclesiarum, Romanum profectus est, Zephirino (cxvii-cxxvii) per haec tempora Romanam Ecclesiam gubernante. Quum Romae esset, S. Hippolytum concionantem « De laude Domini Salvatoris », audivit ut nobis S. Hieronymus testatur.²

Tempore persecutionis Decianae (an. ccxxxix-ccli) conflatum fuit in Ecclesia Cartaginensi schisma contra S. Cyprianum, inde ab anno cxxxxviii eiusdem Ecclesiae episcopum. Duces horum dissidentium fuerunt Novatus presbyter et Felicissimus diaconus, quos S. Cyprianus cum asseclis

excommunicatione plexit. Tum illi ad Cornelium Romanum Pontificem (ccli-ccli) contra S. Cyprianum recursum habuerunt. Ad hoc factum postea respiciens, S. Cyprianus ad eundem Summum Pontificem Cornelium scribens de ipsis dicebat: « Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petricathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum ».¹

Tempore S. Stephani I Pontificis (an. ccliv-cclvii), duo episcopi Hispani: Basiliades et Martialis, propter negatam ab ipsis in persecuzione fidem christianam, ab aliis episcopis Hispaniae dignitate episcopali privati fuere. Illi duo episcopi huic poenae ecclesiasticae se submittere nolentes, ad Summum Pontificem Stephanum appellaverunt et illum ad suas partes pertrahere studuerunt, ut eos iterum in integrum restitueret.²

Marcianus, episcopus Arelatensis in Gallia ad partes schismatis Novatiani propendebat. Ob hanc causam Faustinus, episcopus Lugdunensis, cum aliis episcopis Galliae ad Summum Pontificem Stephanum I convertuntur, et ab illo petunt, ut Marcianum corrigat et ad meliorem frugem revocet. Quum autem Stephanus non ageret quemadmodum ipsi desiderabant, Faustinus S. Cyprianum rogavit, ut ipse Summum Pontificem Stephanum suo consilio et horatu induceret, utque Marcianum de sua sede removeret. Quod quidem S. Cyprianus fecit et ad Stephanum scripsit, illum circa hanc rem modo rogans: « Dirigantur

¹ TERTULLIANUS, *De praescriptione haereticorum*, 36, 1-3 (MIGNE, P. L., 2, 48 sq.).

² EUSEBIUS, *H. E.*, VI, 14 (MIGNE, P. G., 20, 554);

S. HIERONYMUS, *De viris illustribus*, c. 61 (MIGNE, P. L., 23, 707).

¹ S. CYPRIANUS, *Epist. 59* (MIGNE, P. L., 3, 844 sq.).

² S. CYPRIANUS, *Epist. 67* (MIGNE, P. L., 2, 1061); HEFELE J., *Conciliengeschichte*, 2, vol. I, p. 116.

in Provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae, quibus abstento Marciano alias in locum eius substituatur et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur ».¹

Circa medium saeculum III magna quaestio exarserat in Ecclesia catholica circa valorem baptismi ab haereticis collati. Plures ecclesiae Africanae, duce S. Cypriano, Carthaginensi episcopo, negativam sententiam propugnabant: ita pariter quaedam Ecclesiae Asiae Minoris, ducibus Heleno Tarsensi et Firmiliano Caesarense episcopis. Iste omnes asserebant, illos, qui ab haereticis baptizati essent, redeuntes ad Ecclesiam catholicam denovo baptizandos esse. Aliae autem Ecclesiae, praesertim Stephanus I, qui tunc temporis Romanae Ecclesiae praeerat, antiquae traditioni et praxi insistentes, affirmabant, baptismum ab haereticis rite collatum validum esse: itaque iterandum non esse. Multi episcopi Occidentis et Orientis huius quaestione participes fuerunt; at omnium oculi in Romanam Sedem conversi erant; Roma habebatur centrum totius controversiae: in omnium mentibus Romanus Pontifex is erat, qui quaestionem dirimere deberet. Quum autem Stephanus, excommunicatione afficeret vellet illos episcopos, qui sententiae Romanae Ecclesiae acquiescere nolent, Dionysius Alexandrinus episcopus illum rogavit, ne illos ab ecclesiastica unitate abscederet. Hoc nobis testatur ipse S. Dionysius in sua epistola ad S. Xystum, Stephani successorem in Sede Romana, dicens: « De his omnibus ego ad illum (Stephanum) epistulam misi, rogans atque obtestans ».²

Paucis annis postea eidem S. Dionysio, episcopo Alexandrino, magna cum animi

vi oppugnanda fuit haeresis Sabelliana, distinctionem « realem » trium divinarum personarum negantem. In disputationis aestu quedam minus orthodoxa protulit; propter quod nonnulli episcopi Pentapolitani Romam profecti, illum apud Dionysium Romanum Pontificem, qui tunc Ecclesiam catholicam regebat (ccli-ccli), accusarunt. Dionysius Papa, habita Romae synodo et quaestione melius in examen revocata, ad Alexandrinum Dionysium scripsit praecepis, ut suam mentem in illa quaestione melius explicaret. S. Dionysius Alexandrinus statim mandatum Romani Pontificis exequitur, et opus, cui titulus: *Elenchus et Apologia* ad Dionysium Papam direxit. Illo in opere Alexandrinus episcopus suos adversarios refellit, debitamque satisfactionem Summo Pontifici Romano porrexit.¹

(Ad proximum numerum).

AMBROSIUS BAČIĆ, O. P.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA²

De nominibus substantivis eleganter convertendis.

§ II. - De nominibus adiectivis, quae in alia adiectiva migrare possunt: 1º adiectiva quae qualitatem denotant, 2º adiectiva quae numerum exprimunt.

¹ EUSEBIUS, *H. E.*, VII, 26 (MIGNE, P. G., 20, 708); S. ATHANASIUS, *De sententia Dionysii*, 13... « Quidam ex ecclesia fratres... Roma se contulere, illumque apud cognominem Dionysium Romanum episcopum accusarunt.. Misit quoque ad Dionysium litteras, ut indicaret, qua de re accusatus ab illis fuisset. Ille vero quam primum sui purgandi causa libros edidit, quos inscripsit *Elenchus et Apologia* (MIGNE, P. G., 25, 489).

² Cfr. fasc. sup.

¹ S. CYPRIANUS, *Epist. 68* (MIGNE, P. L., 3, 1028 sq.).

² EUSEBIUS, *H. E.*, VII, 2-3 (MIGNE, P. G., 20, 639, 646).

A) *De adiectivis quae qualitatem denotant.*

I. — Pro «magnus» eleganter usurpatur «tantus»,

1º post pronomina demonstrativa, quae per emphasis usurpantur, seu quibus plus significamus quam dicimus,¹ v. g.:

Hic tantus (= magnus) vir (Cor. Nep. Hann., XIII, 2).

Unde illam *tantam* (= magnam) celebrat et tam incredibilem cursum inventum putatis? (Cic., *Pro Leg. Manil.*, 14, 40).

Ista *tanta* (= magna) tamque multa profitenda non censeo (Cic.).

2º post pronomina relativa etiam copulativa, v. g.:

Qui *tantas* et tam infinitas pecunias repudiarit (Cic., *Rosc. Am.*, 8, f.).

Quibus (= Sed iis) pro *tantis* rebus nullum praemium postulo (Cic., *Cat.*, III, 11, 26).

3º post pronomina interrogativa; v. g.:

Quod eorum *tantum* fastidium est? (Cic. *Phil.*, XI, 15, 38).

II. — Certa nomina substantiva non adiectiva multitudinis ac copiae, sed magnitudinis sibi adsciscunt, v. g.:

Magna pecunia (Cic., *Ad Attic.*, XI, 3, 3).

Copiae *magnae* (Cic., *Ep.*, XII, 5, 2).

¹ Huiusmodi pronominibus demonstrativis veniente postponuntur, praeter «tantus», 1º «talis» et «tantulus»; v. g.: Da operam ut hunc *talem* virum videas quam primum (Cic.) — Distinebar, ut huic *vix tantulae* epistolae tempus habuerim (Cic., *Ad Attic.*, I, 14, 1). — 2º particula «tam», sequente alio adiectivo, v. g.: Hunc ego hominem *tam* acrem, *tam* audacem, *tam* callidum nisi ex domesticis insidiis compulsem non facile hanc tantam molem mali depulsem (Cic.). — Hae *tam* variae artes (Cic.).

² Tullius aliquique scriptores aliquando «tantus» pro «magnus» per emphasis ponunt, licet non praecedat pronomen. «Tantus» tunc est quasi demonstrativum; v. g.: Neque tam facile opes Carthaginis tantae concidissent, nisi illud receptaculum classibus nostris pateret (Cic.).

Parvae, maiores, maxima, quantae, tantae classes.

Magnae Oeduorum clientelae erant (Caes.).

III. — Nomina adiectiva non pauca, quae vim aut praestantiam significant, adiectivis «magnus», «summus» et similibus eleganter suppleri possunt,¹ v. g.:

Magna (= alta) voce (Cic., *Ad fam.*, V, 2, 7).

Magnae (= graves) suspiciones (Cic., *Ad Attic.*, XI, 16, 1).

Summa (= Sacra) officia (Cic., *De fin.*, II, 31, 99).

IV. — Ne adiectiva, quae proprie ad animata pertinent, transferantur ad inanima, Latini saepe adiectivum «plenus» usurpant cum substantivis, quae adiectivis vitandis respondent;² v. g.:

Consilium plenum sceleris et audaciae (= scelestum et audax) (Cic., *Rosc. Am.*, 10, 18).

Manus plena perfidiae (= perfida) (Cic.).

Habui noctem plenam timoris et miseriae (Cic.).

V. — Loco adiectivorum in «bilis», quae saepe deficiunt, Latini non raro utuntur aliis adiectivis, praesertim «faciliis», cum circuitione;³ v. g.:

Materies facilis ad exardescendum (= inflammabilis) (Cic., *De Or.*, II, 45, 190).

Res facilis ad intelligendum (= intelligibilis) (Cic.).

¹ Tunc usurpatur adiectivum genericum pro specifico.

² a) Rarissima est metaphora, qua nomina adiectiva de animatis ad inanimata transferuntur. Adest in exemplis quae sequuntur: *Caritas benevolia* (Cic., *De Am.*, 8, 28). — *Consilium prudens* (Cic., *Ad Attic.*, 8, 2). — *Sapientes sententiae* (Cic., *De orat.*, 1, 9, 31). — *Desipiens arrogans* (Cic., *De Natur. deor.*, II, 6, 16). *Doctissimae* voces (Cic., *Tusc.*, 4, 12).

b) Haec circuitorum cum «plenus» etiam usurpatur loco adiectivorum, quae non sunt metaphorica.

³ Adiectiva in «bilis» etiam aliter verti possunt, ut postea videbimus.

Facilis ad subigendum (= domabilis) belua (Cic.).

Cibus facilis ad concoquendum (= digestibilis) (Cic.).

Laude dignus (= laudabilis) (Suet.).

B) *De adiectivis quae numerum expriment.*

I. — Numeralia distributiva usurpantur ad exprimendum cardinalem numerum cum substantivis,

1º quae singulari carent; v. g.:

Inter bina (= duo) castra collocatus est (Cic., *Phil.*, 12, 11).

2º quae in plurali rem unam significant; v. g.:

A te binas (= duas) litteras, summum ternas (= tres) accepi (Cic., *Ad Attic.*, 7, 15).

II. — In enumeratione, usurpantur «unus, alter» (pro «primus, secundus»), tertius, quartus, etc.

1º in singularium singularibus; v. g.:

Unum, alterum, tertium annum Sas-sia quiescebat (Cic., *Cluent.*, 64).

Reperio quatuor causas cur senectus misera videatur: *unam... alteram... ter-tiam... quartam...* (Cic., *De Sen.*, 5).

2º in plurali cum pluralibus;¹ v. g.:

Græcorum uni sunt Iones; Aeoles alteri; Dores *tertii* nominantur (Cic.).

III. — In partitione seu distributione, expresso distributivo «singuli», alter numerus potest esse cardinalis;² v. g.:

Ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat (Caes., *De Bell. civ.*, I, 52).

¹ a) Caesar tamen scripsit: *Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam (= alteram) Aquitani, tertiam...* (*De Bel. Gal.*, I, 1, 1).

b) Hinc dicunt «unus, alter», «unus et alter», ad duo significanda, quae unum post aliud sequuntur.

1º in singulari cum singularibus v. g. *Unum alterum* mensem (Cic., *Verr.*, II, 5, 29). — *Unus et alter dies intercesserat* (Cic., *Cluent.*, 28). — *Uno alteroque iictu* (T. L., IV, 10).

2º in plurali cum substantivis quae singulari carent sive in plurali rem unam significant; v. g.: *Una et altera castra* — *Una et alterae litterae*. — (Quamquam aliquando ponitur non ad duo significanda, sed aliquot pauca).

c) Quum «primus» et «secundus» alii ordinalibus iunguntur, satius est eis «unus» et «alter» substituere; v. g.: *Unus* (= primus) et *vicesimus*. — *Alter* (= secundus) et *octagesimus*.

d) Sæpe, quum ex contextu intelligitur distributio, vox «singuli» retinetur, et substantivum ponitur in plurali; vel etiam in singulari; v. g.: *Frumentum, assibus* (singulis) in *modios* (singulos) aestimatum plebi divisit (T. L., IV, 16). — Quum binis *sesterciis tritici modius* (= singuli modii) esset (Cic., *Verr.*, 3, 81). — *Singulis in militem* (= singulos milites) tunis imperatis (T. L.).

Ita dicitur a) «in navem, in capita, in pedem»; v. g.: *Ternis nummis in pedem tecum transegit*.

b) «in dies» v. g.: *Caius in dies fit sapientior*. Livius minus recte scripsit: *Dabitis* (singula) *millia talentum* per *duodecim annos* (singulis annis) (T. L., III, 7, 45).

IV. — In numerandis annis, numerus ordinalis cardinali numero saepe substitui potest. Tunc Latini incepit annum semper intra annorum numerum computant, v. g.:

Mithridates annum iam *tertium et vicesimum* regnat (i. e. abhinc annos *viginti duos*) (Cic.).

Bello punico *duodecimum* annum (i. e. abhinc *undecim* annos) Italia urebat (T. L.).

V. — Pro numero magno, sed indefinito, latine frequentius dicitur «*sexcenti*», quam «*mille*»; ¹ v. g.:

In quo multa molesta: discessus noster, belli periculum, militum improbitas. *Sexcenta* praeterero (Cic., *Ad Attic.*, 6, 4).

Sexcentas proinde scribito mihi dicas, nihil do (Ter., *Phoen.*, 4, 3).

S. Leonardi in *Helvetia*.

J. Iss.

MINIMAE VOCES

MATER.

Ad sodalem Joseph Morabito.

Undique ver croceis spargebat floribus agros,
pingebat varium daedala Flora solum.
Ipse puer viridis currebam gramina prati,
mecum frater erat dulcis eratque soror.
Pergimus ingenuis laeti contendere ludis,
dum roseum fundit risus in ora iubar.
At vox blanda: «Iocis, pueri, desistite vestris,
ne sudor madidus tempora vestra riget!»
Carpite nunc violas riguo quae margine florent
et sua quisque mihi sertam decora ferat».

¹ Notissima est illa synecdoche, qua numerus certus pro incerto usurpatur. — Apud Latinos, adiectiva numeralia hoc sensu, non proprio et determinato, sed indefinito, non usurpantur, nisi ad significandum magnum numerum. Haec sunt praecipua: *Viginti, centum, trecenti, sexcenti, mille*. — Eadem regula valet pro quibusdam adverbii; v. g.: *O ter quaterque beati!* (VIRG.).

Sic genitrix, sobolem recto quae tramite duxit,
cui spes una Deus lexque supra Deus.
Tum mihi non suasit: «Versus compone ca-
[noros]

blandis nec docuit verba ligare modis.
Sed mihi: «Tu purus generosus concipe sensus,
et pete quae iusto sunt cupienda viro.

Tu pete laetitas caeli quae sidera spectant,
gaudia virtutis munera pacis erunt.

Despice tu plausus: vigili celatus in umbra

serva, quam dederam, tu sine labe fidem».

Quam vellem carae genitrici dicere: «Mater,

quae puer ex pratis florea serta tuli,

cuncta meis studiis doctam vertuntur in artem,

quae tibi, dum vivam, carmina blanda

[dabit!].

QUIES.

Quid toties cantus iterare iubetis, amici,
seu lubeat digitis, seu iuvet ore loqui?

Parcite vos miserum fortunae vulnus habentis
iam me cantandi nulla cupidus vocat.

Laetitiam Musae poscunt animique quietem:
turbida cum mens est, os digitique dolent.

Carmina, quae finxi, succensa mente notavi;
supposui titulis dysticha blanda suis.

Omnia tum roseo fundebant lumine mentem,
(ipse quidem tenero victus amore fui).

Ardentes animos languescens abstulit aetas;
sommia non subeunt amplius apta mihi.

Sunt segnes digitii chordas attingere plectri,
versus atque meos deficit ingenium.

At satis est Musis quondam placuisse, sodales;
Musis quas memori corde tenere iuvat.

Nunc senio fracti calamus deponimus ipsi,
vox quamquam faciles desilit in numeros.

«Desine sectari modulos» vox intima suadet:
«suspensam ramis arboris adde lyram».

«Desine» vox iterat, «lepidos colludere versus:
iam laesit nigras alba pruina comas.

«Mens aliud quaerat: iucundas linque Ca-

[menas]:

viribus exhaustis, est cupienda quies».

Arretii.

VINCENTIUS POLYDORI.

DE GULIELMO MASSAIA¹

Germanus Christi Apostolus non animabus tantummodo curandis navat operam, verum impigre etiam humanis atque civilibus negotiis prospicit. Itaque non navitatem modo suam in conquirendo spirituali gentis Abyssiniae et Gallasensis bono impendit, sed eorum redditus et opes honesto ac frugifero labore augendas satagit, probe portendens fore ut sedula gentis opera plurimum conferret ad redintegrando mores et opes hominum suapte natura desidum. Tunc enimvero peritia usus illius regionis, tot annos cumparata, et auctoritate fultus qua cum apud Principes, tum apud plebeios pollebat, consilium init colonias condendi. Quum amplis agris Kaffae donatus esset a Rege, sacram aedem multisque circum casulas domesticis suis extruxit, quibus Abba Jacobo magistro curae erat, post perceptam christianam quotidie eruditio nem, agrum proscindere atque excolare, in quo caffoeam posuit, quae mirum excrevit in modum. Vineam deinde instituere, omnesque arbores conservere, quae quam maxime in regione Kaffa virescunt, et in primis cocciò, quod apud illam gentem loco est frumenti. Itaque excitantur coloniae pagorum *Sedulgo Sciap* (MDCCCLX) et *Rasa* (anno MDCCCLXXVI). Illae ergo regiones, auctore Massaia, Trappense fiebant domicilium, in quo Benedictino more, variabatur quotidie illud: *Ora et Labora!*

Atque ita Apostolus noster, praeter dulcia Religionis benefacta, humana quoque emolumenta illi genti afferebat, verbo atque exemplo docens adamare laborem, opum atque virtutum fontem. Omnia autem, quae navabat, opera, atque omnia, ad quae spectabat, semper cum Italicae patriae amore copulabantur. Namque non

solum animo invicto ac valide semper inhumanitati atque servituti adversatus est; sed rebus Italiae futuris scitissime prospexit, adeo ut coloniae Italiae res, quae consequatae sunt, ab Massaia ortum duxerint.

Profectus in Africam is erat salvandi animas cupidine actus, agerque ei traditus excolendus quam maxime infoecundus sterilisque exstabat. Attamen navitas eius, Divina opitulante gratia, sensim feracem praestitit uberes prolatorum fructus. Et quamquam Pastoralis cura atque sollicitudo totum omnino ipsum occupant, non tamen prohibuere quominus rerum cognitioni dederet operam perutilem. Ut erat animo investigatore, semper calamo utebatur, quo notiones perciperet; quae virtus, mira cumulata memoria, virum eruditum eum praestitere. Primum omnium illorum populorum linguae operam dedit. Iugi, duro ac sapienti labore usus longaque experientia edoctus, librum edidit, latine exaratum ut Clericis prodasset, cui titulus; *Praelectiones Grammaticales pro Missionariis lingua Amaricam (vernaculam Abyssinam) et lingua Dromicam (vernaculam Gallasensem) discere cupientibus*. Insuper Antonio d'Abbadie, quem supra memoravimus, familiari suo adlaborante, caracteres nitidiores atque magis scripturae populi Abyssini congruentes conficiendos curavit, qui hodie in exarando Abyssino sermone adhibentur. Aliud opus est *Sermo contra Islamitarum doctrinas evulgandas apud Afros*, quod rogatu Lahite Ducis, exteris Gallicas res procurantis, edidit.

Sed opus, quod nostrum immortalitati commendavit est: *Labores Missionales apud Aethiopes per XXXV annos exhortati*; magnum sane opus in duodecim volumina divisum, variis refertum incisionibus, quas eidem comparavit amicus Antonius D'Abbadie. In iisdem enarrantur omnia queaque laeta, quae Gulielmus expertus

¹ Cfr. fasc. sup.

est, omnia quaeque tristia atque dura, quae perpessus idem fuit ab anno MDCCXLVI ad annum MDCCCLXXX; notiones quoque adducuntur ad geographicam, hydrographicam, demographicam, ethnographicam, et ad singulares cuiusque plagaes proprietates spectantes. Audaces Itali nostri earum dissitarum regionum exploratores, ut Antinori, Cecchi, Chiarini, Matteucci, scriptis et verbis usi sunt Massaiae tamquam sapientis consiliarii et validi Patroni. Quum autem et Italicae Societati Geographicae suis profuerit consiliis, haec in grati animi argumentum et ad opus eius perutile testificandum, intra « honorarios Societatis Socios » ipsum adlegit.

(Ad proximum numerum).

P. FERDINANDUS AB AVILLANA, C.

DE GEMMIS ARTIFICO PARTIS

Una eademque lex est, qua adamas, de quo alias diximus,¹ ex carbonio efficitur, quod in crystalla succrescit, et pyropus et sapphirus ex alluminio pariuntur, et chromo sive cobalto, rubro aut caeruleo colore fucantur. Verum alluminium et carbonium copia inexhausta ubique natura praesefert, ita ut, ex quo primum tum viris, tum praecipue mulieribus huiusmodi gemmis sese condecorare mos fuit, instigatio prima orta sit eas artificio fingendi.

Itaque a saeculis usque remotis indagatorum et alchimiam profitentium legiones vitam in huius perscrutatione arcani insumpserunt, quod tandem manebat hodiernae sapientiae revelandum.

Damus quidem de adamante id asseri omnino nondum posse: nam eius gemmae variis artificiis hominum opera per-

fectae, licet purissimis radiis traslucant, adhuc tamen adeo minimae sunt, ut in usu esse non possint; de sapphiris vero aut de pyropis aliter prorsus dicendum est.

Ebelmen, qui in Sèvres gallica urbe opificia celeberrima moderabatur, primus corindonum vel alluminium artificio coactum obtinuit, anno MDCCXLVI. Eius exemplum sunt brevi plures sequuti, ita ut iam in Lutetiana artium recognitione anno MDCCCLXXVIII habita, crystallorum illiusmodi specimina pulcra micarent. Nihilominus, gemmis, quae tanto studio tantaque constantia coaluerunt, tam exiguum erat pondus, et materia tam lenis, ut nec eas incidere nec expolire liceret, et aurificibus ineptae essent.

At novissimotempore maxima supervenerunt atque inopinata huius artis incrementa, iamque passim artificio gemmae effinguntur nulla ex parte difformes nullaque macula sordidae, quae suas sorores in abditis montium visceribus natura partas aequo certamine aemulantur; sunt autem incisioni aptissimae, et aurificum nundinas, cauponas, omniaque commercia longe lateque pervadunt.

Earum officinae diu noctuque fumigant et incensi aëris atque electridis iunctis viribus aguntur. Ibi cortinae fervent et maximo calore candescunt, in quibus insueta fercula, plures per dies gemmae incontinenter coquuntur. Neque novas tantum ignis ille parit lucidas corindonii guttas, sed et veteribus antiquitate obsoletis iuuentutem mire restituit, postquam in balneo quadam demersae fuerint, ubi iuonia crystalla per rugosas facies conscientia senectutis ingrata vestigia omnino deleverint.

Pyropi vel sapphiri hoc ritu conflati nec Indiis nec Brasiliensibus gemmis splendorem aut duritiem invident, nec diversis elementis constant; et quamvis ex vitro fucato non sint, vitra tamen non

aliter ac illae persulcant: pariter et quum calefacti fuerint, et ipsi nigricant, vel polari luce inspecti, annulis et cruce iisdem praefulgent, quae et in illis animadventuntur. Quare una haec vix interest inter utrumque differentia, alterum natura viribus in montium visceribus effungi, alterum, contra, humani ingenii calliditate.

Verum iis finibus haud contenta mansit avida nostri generis mens, et arcana nova investigans, quum montes viderit gemmas alentes, ita et ostrearum partus in profundo oceano perquisivit, ut margaritas nascentes videret, et, si licaret, multiplicaret. Fuit enim Diguet, Gallus quidam naturae maxime curiosus, qui margaritas, pro varia ortu condicione, alias, ut ab aliis secerneret studuit; illae enim immissio in ostreis lapillo provocant, at flavo et subfuscō colore sordescunt; hae morbo quodam ostrearum cognoscuntur, et puriores sunt ac lucidores, maximoque candore renident. Quare quum primas liceat cuique multiplicare, qui lapillum in ostrearum testas invexerit, alterae, contra, vermiculi cuiusdam morsu cognoscuntur, qui ostrearum carnes incidit, ita plane, ut liquida lympha, qua margarita paullatim coalescit, quasi per foramen madescat. Et profecto si quis margaritas has lucidores secaverit, parasitorum huiusmodi corpusculum in singulis semper inveniet. Planum est inde margaritas querenti artificium quo ostreas vi cogat, ut sibi gemmas lectissimas pariant, perscrutandum esse; nec aliud inquirendum manere, nisi quo potissimum tramite morbum hunc parasitarium ex una in alteram ostream quasi contagio propagare valeat.

A. C.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 397. – Acida, vel potius austera cum bile mixta substantiam viridem faciunt cum sedimento amurcoso, viscidoque, cinereo, alboque (fors alvi cretaceae explicatio et curatio hinc haberi potest. STOLL), uti testantur experimenta, cum alumine, spiritu nitri, salis et vitrioli facta.

§ 398. – Per experimenta BAGLIVI cum bile instituta constat bilis virtutem nil magis acuere quam salia lixivialia planatarum, et amaras plantas. Item bilis maximam mutationem fieri ab acidis. Adeoque ubi excrementa videmus nimium in colore mutata, et ad viridem, aeruginosumque accedere, id ab acido maligno, vitriolico, corrodente factum esse credamus.

§ 399. – Nimia animi quies magis prohibet transpirationem; quam nimia corporis. (SANCTORIUS, lib. V, Aphor., 15).

§ 400. – Qui quotidie sordidos, viscidosque dentes habent, licet eos quotidie abstergant, ii, ut plurimum, sunt stomacho debiles, male digerunt, ore foent, post prandium capite dolent, moesti sunt, atque debiles; et si studiis atque negotiis eo tempore dent operam, irascuntur, impatientes fiunt, capipleno cum dolore corripiuntur.

§ 401. – Debiles quoque stomacho natura sunt somnolenti; mane vix evigilant, imo nunquam somno satiarentur matutino, potissimum quando vesperi replentur victu copioso.

¹ Cfr. fasc. sup.

Quum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi, demus necne in nostra potestate est; non reddere vero bono viro non licet.

402. - Sunt pariter debiles, languidique corpore, facie aliquantum pallidi; et, quod primum est, maxime somnolenti; et si non dormiant, quantum stomachi debilitas postulat, pessime habent, morbisque quam plurimis fiunt obnoxii. Sinendi itaque sunt, ut dormiant, praecipue si pueri sint aut iuvenes. Potionibus the, caffaeae, chocolatae, simulque stomachum recreantibus, iuvantur et sanantur.

§ 403. - Usu calidorum, acrium, aromaticorum, calli pedum summopere dolent et exacerbantur; et quando hi sine causa dolent, significat latentem apparatus regnare in liquidis acrium, acutarium, purgantium, salinarumque particularum.

§ 404. - Quod de callorum dolore BAGLIVUS monuit, dicas pariter de dolore dentium repente orto sine causa, de catarro et sternutatione ob exiguum susceptum frigus, vel auram nocturnam.

§ 405. - Qui nimium replentur cibis, si postea bene dormiant, beneque per somnum transpirent, non ita facile ob nimiam repletionem aegrotabunt, sicuti aegrotarent, si non dormierint, et non transpiraverint.

§ 406. - Dogma generale est: Qui male digerunt, male transpirant.

§ 407. - Duo medico sunt praecipue necessaria cogniti. Primo accurata methodus curandi febres; deinde doctrina solida de curandis ventriculi et proximi mesenterii morbis.

§ 408. - Aequo noxius est nimius cibus ac extrema diaeta; sed magis haec, quia partes defraudat debita restauratione, in qua consistit vita.

§ 409. - In infarctu mesenterii, obstante visceribus diuretica urinam magis adhuc supprimunt. Non diuretica, sed purgantia solutiva per intervalla data urinam movent in hisce casibus. In morbis sedem habentibus in massa sanguinis, diuretica prodesse possunt. Quod de urina dictum est, de sudore quoque dicta sint.

§ 410. - Hyeme, ad praeservandum, purgationes mediocres per intervalla iuvabunt, aestatique transpirationem compensabunt. Hac etiam ex causa, scabies morbi cutis quamplurimi circa solstitium hyemis incipiunt ac vigent.

§ 411. - Fere semper in chronicis organi laesio adest, et, si non est, diurnitati malii tandem succedit.

§ 412. - Libera transpiratio debilem facit constitutionem corporis, sed salubritate compensatur.

§ 413. - Melancholicos doloribus vagis dire excruciatos vidit BAGLIVUS iuvari sero lactis simplici, vel viperinato, succis depuratis sonchi, boraginis, cichorei, longa potionе aquae nucerianaе et similibus.

§ 414. - Febris ardens, ait BAGLIVUS, mutatur in lypiriam et epialam. Ergo datur una species febris *ardentis*, quae ad febres *biliosas* pertinet. Alia autem species febris *ardentis* erit febris inflammatoria. (STOLL.).

§ 415. - Videtur BAGLIVUS describere febrim *nervosam*, atque hanc neglectam abire in mesentericam. Causam asserit lympham viscidam, eamque vocat *lymphaticam lentam*, quae adeo cum *nervosa Huxhami* eadem esse videtur.

§ 416. - Mictus sanguinis nigri, vitriolici, et ad instar atramenti valde obscuri et nigri, criticus solet esse, et aliorum morborum liberator, nempe capitis et pectoris, uti in nonnullis senibus observavit BAGLIVUS. Ita fluxus sanguinis atri, nigri, vitriolacei, foetidi, pestiferi, per alvum effluens, criticus esse solet et complurium morborum ventris, dolorum diurnorum circa lumbos et similium liberator, dummodo tamen non sint dura, obstructa et intenta ipochondria, praecipue dextrum; in quo casu lethalis est hic sanguinis fluxus. Itaque talis fluxus non est sistendus in mollibus hypochondriis, sed sinendum ut fluat, donec veluti per crisin viscera naturalia liberentur. Sanantur

usu seri lactis cum hedera terrestri recenti et radice scabiosa recenti coctis. Fluxus talis sanguinis quidam liberabatur a crudelissimi lumbi dextri doloribus. Ex huiusmodi doloribus lumbi dextri pertinacissimis et diris, durantibus per totum triennium, obiit de repente vir melancholicus.

In cadavere observatae sunt plures librae sanguinis concreti, coagulati, foetidi, circa omnes musculos lumbi dextri. Hic mictus sanguinis a ruptis vasis varicosis, haemorrhoidibus ad vesicam tendentibus, pertinet ad primam speciem morbi nigri HIPPOCRATIS (de quo vide TISSOTUM). Varices introrsum ruptas et mictum etiam sanguinem TISSOTUS non habet. (STOLL.).

§ 417. - In rheumatismo inflammatorio, factis aliquot venae sectionibus, datisque emollientibus, in morbi declinatione, viribusque prostratis dedit BAGLIVUS infusum flavedinis corticum aurantiorum, cum aqua fervente factum, copiose potandum. Hanc aquam citratam frequenter prescripsit BAGLIVUS suis Romanis, loco caffaeae, aut chocolatae. Caffaea enim, si nimium potetur, officit nervis; chocolata nimia sanguini et capiti.

§ 418. - Autumno anni 1703 cooperunt variolae et morbilli regnare copiose, Erant tamen non valde graves, nec mali moris. Confluebant tamen; et licet plurimis superveniret diarrhoea, non tamen erat periculosa. Quod etiam alias observavi in variolis; unde in apparatu pravorum humorum cum variolis, si diarrhoea venit, non semper noxia est, ac molesta; sed quando variolis supervenit spirandi difficultas, semper mala est. Qua de causa nihil magis observo, quam respirationem in hisce morbis: bona enim respiratio semper bonum indicat. Ut ergo materies denuo ac citissime ad superficiem corporis revocetur, oscillatione morbo contraria, totum fere corpus iussi scarificare, et appositis cucurbitulis sanguinem ad duos fere bies educere: quo educto, involutus

fuit aeger linteis calidis, dispositusque ad dormiendum. Mane tota cutis oblinita est oleo amygdalarum dulcum mixto cum spiritu salis ammoniaci, itaque facta eruptio denuo est, et salus secuta (BAGLIVUS).

§ 419. - In curatione febrium mesentericarum feliciter adhibentur fomentationes ventris, nec non iuscula digerentia.

§ 420. - Aeger crudelibus doloribus in sinistro rene, vi calculi, divexus, pluribus frustra adhibitis remediis, levabatur tandem facto clysmate ex iusculo carnis et oleo amygdalarum dulcum. Quod vero admiratione et animadversione signum est, clysmata per sex horas in ventre manxit, ac tandem totum per urinam secessit nihilque per alvum (BAGLIVUS).

(Ad proximum numerum). I. F.

ANNALES

Novum in Hispania de re publica imperium.

Comitia ad municipum legatos eligendos in Hispania quum favorabilia liberae civitatis propugnatoribus atque socialistarum factioni cesserint, Altonus rex cum familia a regno patriaque sponte recessit, per edictum praedicans sese civibus committere liberam regiminis optionem. Novum itaque de re publica imperium, idque populare, constitutum est Matriti, eique praefectus pro tempore Alcalà Zamora; dum alterum Barcinone eligitur, tribuno militum Macia praeside. Eritque inde imperium ipsum duplicatum? Variae prolatae sunt voces in utramque partem; popularium legatorum coetus, qui die xxi proximi mensis Iunii deligitur, rem definit; neque non probabile videtur fore ut Hispania in foederatarum civitatum procriptionem convertatur.

Lusitani motus.

Sunt etiam qui credant Hispanicum statum latius iri constitutum, per unionem scilicet cum Lusitania. Argumentum ex motibus desumunt, qui, Madera et in Azorze insulis exorti, Ulyssiponem usque proferri debuissent. Re tamen vera id non evenit, neque eventurum videtur; dummodo ne Bernardinus ille Machado, Lusitaniae quandam praeses, nunc in Gallia exsul, quem seditionis auctorem plerique affirmant, quum in vanum cessisse conatus suos viderit, extrema haec experiri sit molitus.

Pactio de vectigalibus inter Austriam et Germaniam mutuo solvendis.

Perturbatio, in Gallia praesertim exorta, ex huiusmodi pactione proxime in eunda inter Austriam et Germaniam, perdurat adhuc, quum passim dubitent hunc primum futurum gradum ad duarum civitatum unitatem perficiendam, cum aequaliter illius Europaearum civitatum compensationis magno detimento, a pactionibus post recens bellum statutae. Verum Austriae et Germaniae gubernia fidem suam dedisse dictant, sese rem ultra minime acturas, nisi tum Genevense Societatis Nationum Supremum Concilium responsum dederit da iuridico, quem vocant, quaestionis adspectu, tum Coetus ad Europeam illam Unionem, a Briando propositam, in examen revocandam, sessiones suas expleverit.

Regius luctus.

Die xv superioris mensis Aprilis Augustae Taurinorum, septuaginta ac septem annos natus, diem obiit supremum Thomas, Genuae Dux, e Sabaudica gente princeps, Italici regis avunculus. Fuit nauta strenuus, vir consilio et pietate

valde commendabilis, regiisque vicarii munere optime functus est perdurante Italicu recenti bello, nempe ab anno MCMXV ad annum MCMXVIII.

POPLICOLA.

VARIA**Quinam « tumultuarii » milites appellati fuerint.¹**

Anno christiano MDVII Ludovicus XII Gallorum rex, quum celerrime bellum Genuensibus tulisset, qui ab eo defecerant seque in libertatem vindicaverant, paucis diebus urbe recuperata, Mediolanum contendit. Venetus Senatus ob eum tam celerem Ludovici in Italiam adventum, quum illum, si inimico esset in rem publicam animo, non longinquitas itineris, non reges interpositi, non denique Alpes moratura viderentur, quin, quum vellet, in ceteri Galliam parvo negotio traiiceret; tum etiam quod rumor increbuerat, Maximilianum in Italiam cogitare; ne respublica ad eiusmodi casus imparior offendit posset, statuit, ut in Veronensem finibus eorum qui arma ferre possent, certus agrestium hominum numerus conscriberetur, qui rei militari assuefierent, iisque immunitas reliquarum rerum datur, quo paratores ad obeunda belli munera essent, et quum vocarentur ad signa, e vestigio convenienter. Ea militum ex agris deinceps institutio ad reliquos re-publicae fines, ut est usus omnium rerum magister, brevi permanavit: itaque nunc quidem cuiusque oppidi, vici pagique qui partem habent suorum, qui ei rei student, ut armati paratique sint, nullo ut interposito temporis spatio ad bellum prodire, reique publicae celerem navare operam possint congregantur; hosque omnes uno nomine *milites pro ordinibus* (seu *tumultuarios*) appellaverunt.

¹ Ex PETRI BEMBI *Historia veneta*

Avarus.

Avarus et pecuniae magnus amator quidam agris domo sua et supellectili ac vestimentis venumdatis, aurum, quod de pretio illorum egerat, liquefactum in unam massam refundit atque redigit, et hanc obruit terra. Quo autem loco aurum, eodem et animum et cor suum sepelit. Itaque ille quotidie venire et contemplari divitias suas et magnam capere intuitu voluptatem. Quod quum animadvertisset quidam, qui prope operis nescio quid facere consueverat, ratus id quod erat, aurum defodisse illic hominem; quum avarus satiatus aspectu terrae, qua tegeretur aurum, discessisset, accurrit, et eruta terra, aurum reperit atque aufert. Mox avarus, ut solebat, revertitur, quumque vidisset quod interea factum fuerat, lamentari coepit miserabilem in modum et Deos atque homines incusare. Quem praeteriens quidam quum cerneret in moerore esse maximo, quid acciderit interrogat, et re audit: « Heus tu — inquit — ne plora neve tantopere afflige animum tuum; nihil enim, ut videtur, damni fecisti, qui tum etiam quum haberet aurum, caruisti auro. Quare nunc repone istum in locum saxum quadruplam, tibique persuade, istic conditum esse aurum. Nam nihil prorsus interfuerit, neque alterum altero maiori tibi usui esse poterit; neque enim quum adhuc aurum defossum istic esset, a te usurpabatur.

Docet fabula frustra possideri ea quibus non utaris; neque esse fructum divitiarum, nisi eorum usu.

Iocosa.

Tuccius patri exhibit pagellam, in qua puncta a discipulo merita magister adnotavit.

Cui PATER: — Fili mi, non utique istis punctis contentus esse possum!...

TUCCIAS: — Probe, pater; quinimo ipse magistro significavi futurum esse non posse ut haec puncta tibi facerent satis; sed frustra; nullo enim pacto voluit ea commutare et corrigere.

TUCCIAS ex improviso et cum strepitu in paternum cubiculum irruit.

Ei PATER: — Quoties te monui ne rustico hoc modo ingrediereris; immo vero reverenter ostium pulsares!...

TUCCIAS: — Errorem statim tollam: exibo scilicet ostiumque pulsabo.

Aenigmata.

(a socio THOMA GARRIDO proposita).

I.

Est nomen regale mihi, quacumque requirar:
reginam mundi *prima-secunda* notat,
omnium item vatum regem notat *altera et una*;
denique, si inverso cuncta elementa legas
ordine, adhuc regem mirabere, candide lector,
qui regit imperio pectora nostra suo.

II.

Antefer et *primam*, lector, postpone *secundae*:
pars aderit terrae magna; parva tamen
pars aderit pelagi, si *toti dempsenis unam*.

Denique, si *extremas* iunxeris, ecce tibi
arida frons aderit, quam parvi insana iuventus
pendit, uti *totum vexat agrestis herus*.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Leo-nardus*;
2) *Rus-sus*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vie. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



AD SEPULCRUM

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA

PIL. Meis credebam tacitus praecordiis,
Miser! Timebam vestras in me insidias...
At nunc me palam praedico discipulum
Iesu, Magistri venit qui de Nazareth,
Mea damnavi mortis quem sententia!

SCRIBAE. Nos, nos fatemur Moysen! Prae ce-

[terris] enim quis alter missus est a Domino?

PIL. Sequuntur ipsum multi de synedio,
A rerum docti fulgida evidencia!
Quis est doctrina clarior Gamalier?
Quis Nicodemo dulcior? Illum vidi-
E cruce corpus mortui sustollere;
Fecit quod simplex candidus discipulus.
Sed omnes Ioseph superat prudentia;
Suum sepulcrum cessit et fidentius
Ei perantiquum carmen adtribuit:
Eius sepulcrum gloria circumdabitur!¹

SCENA XV.
CAIPHAS et SATANAS.

SAT. (ad Caipham) Facis quid hic? Manus

[tuae sunt sanguine
Pollutae, stillant mendacium labia...]

CAIPH. Audes in mentem tu vocare denuo,

Quam suggestisti sententiam perfide?

SAT. Suggesti viro tam prudentia nobili?

In omne seculum turpis praedicaberis,

Eritque magnum nomen in ludibrium:

Et Caiphas sufficit, nullum par elo-

[gium!] Cruor, quem scelestia perfudisti manu,

Erit tristitia semper memoria.

CAIPH. Tu eras nobiscum.

SAT. Dicis. Dicis. Dicis.

CAIPH. Inter Iudices.

Errare vidi, loqui confidentius...

¹ Exit, et cum eo omnes, praeter Caipham.

SAT. Vidisti! Recte autumas! Inter perfidos
Erravi, sumens nunc personam Nabonidus,
Magis quo possim ducere ad flagitium.
Mihi at nullum corpus! Valeo nam spi-

[ritu!] Eum vobiscum persequebar odio...

Eum vos damnastis meo consilio.

Vis me reapse modo me cognoscere?

Tuos in me fige oculos, o Caiphas!²CAIPH. Tun?³

SAT. Ergo nosti?

CAIPH. (exterritus) Occidi! Perdidi!

SAT. Iterum te perdam, veneris cum tandem ad

exitum,

Ad inferos ducam te praedam divitem.³

SCENA XVI.

CAIPH. solus.

CAIPH. Ehu! quo me stimulus duxit superbia!

Quid autem profuit? Quae in me decidit

Malorum series, quae pectus lancinant!

Si sed e mortuis surrexit iterum,

Suum si corpus flagitiis subditum

Suis et viribus sepulcro retulit,

Deum fatendum esse adhuc quis dubitat?

Haud possum falsas nugas requirere,

Ut ipse tricis liberer superbiae!

Quo melius palam confiteri reum

Meis ut ignoscat Deus criminibus?

Eu Nicodemus, Ioseph, qui discipuli

Iesu sunt omnium tamdiu fidissimi.

Cur illos alloqui, compellare dubito?

(Ad proximum numerum).

¹ Subridens malitiose.² Sese palam eis ostendit.³ Exit magno eum fragore.